

G.K.378.2.

X 1903407

Q. D. B. V.

In  
4644

Ex  
HISTORIA CIVILI,  
<sup>DE</sup>  
REGNO BO-  
HEMIÆ,

Indultu Ampliss. Fac. Philosoph.  
*publicè disputabunt*

PRÆSES  
M. JOHANNES GEORGIUS  
Gahm/Dresdensis,

&  
RESPONDENS  
JOHANNES FRITZSCH,  
Cygnæus.


die 27. Sept. 1676.

H. L. Q. C.



LIPSIAE,  
LITERIS COLERIANIS.

Ge Ristchen  
M. 2



JOHANNES FRIEDRICH  
CAGENUS.  
1781





# I. N. J. SCRIPTORES.

## I.



Cripturus de Bohemia, referam de Autoribus pri-  
us, & quorum opera ac labore ad nos historia hæc  
peruenerit, commemorabo. Ac multos quidem,  
qui in Bohemicis enarrandis occupati fuerunt, re-  
perire mihi licuit. Inter eos tamen facile pri-  
mas tenet Melchior Goldastus Haiminsfeldius

Helvetius, qui jura Bohemici Regni ac super iis publicè agita-  
ras controversias maximâ fide atque studio excusit. Cum quo  
necessariò conjungendus Autor Deductionis Bohemicæ, adversus  
quem disputandi provinciam suscepit Goldastus, quod iniquè ni-  
mis de Austris, quibus hæreditarium hoc regnum cessit, sentiret  
alter, ac mordacem ihi istos calamus strinxisset.

2. Post hos vel maximè merentur laudem Cosmas Pragensis Eccle-  
siae Decanus, qui ex Archivis atque authenticis tabulariis chro-  
nicon suum concinnavit, Johannes Dubravius Olomuzensis E-  
piscopus, Johannes Matthias à Sudetis, originum Sclavo-Bohe-  
micæ gentis investigatione insignis; cumq; his VVenceslaus Ha-  
gecius, nec non Martinus Boregkius, diligentissimi gentis Bo-  
hemicæ scriptores.

3. Tum operam suam huc attulerunt Johannes Cohlæus Historiæ  
Husiticæ auctor, Zacharias Theobaldus, Stransky, Pulka-

va, Georgius Beatus, Georgius Bartholdus Pontanus à Breitenberg/ cuius Bohemia pia extat, Procopius Lupacius, qui Kalendarium Historicum in lucem edidit; tum auctor chronici Boleslaviensis, Aeneas Sylvius de Bohemorum origine ac gestis, post commutato nomine Pius II. dictus, quem & sequitur sèpè Fr. Irenicus, & utrumque Limnaeus, qui Tom. III. J.P. c. 8. n. 56. de Rege Bohemiæ, non satis rectè mentem Sylvii colligit, Matth. Dresserus, Munsterus, novissimè Habernfeld/ sed partibus obnoxius.

4. Præter istos nominandus etiam Johannes Campan. Vodnianus, qui carmine conscripsit Zechiadem, tum Martinus Cutenus, Pantaleon Candidus, Simon Proxenus, Zacharias Theobaldus Junior, qui idem argumentum partim metro, partim soluta prosequuntur oratione.
5. Præcipuos alioquin ac insigniores Rerum Bohemicarum scriptores res initio hujus seculi uno volumine VVechelianis typis excudi curavit Marquardus Freherus.
6. De motibus Bohemiæ superioribus varia extant scripta, collecta diligenter à Draudio Bibl. Germ. & Latin. Cum quo conferre licet in non dissimili arguento Luitconem Thomsonium de causis motæ Bohemiæ, Joh. Petr. Lotichium, Everb. VVassenbergium, & Adolph. Brachelium, aliasq; his & horum similes.
7. Faciunt insuper ad eruendam Historiam hanc Nostrates Scriptores, cujusmodi sunt Annales Francici, Adelmus, Detmarus Merseburgensis, Sigebertus Gemblacensis, Abbas Stadensis, &c. utpote qui passim Bohemica suis Historiis inseruerunt. Similiter Poloniæ, Silesiæ Lusatiaeque Scriptores non raro res Bohem. monumentis suis commendarunt. Ut alios exteroritateam, quorum tamen multi præter veteris historiæ fidem interdum differunt.
8. Ad Ecclesiastica evolvi potest Adrianus Regenvolscius, qui longo



longo volumine ac prolixè origines successionesq; Ecclesiarum Slavonicarum recenset ; cautè tamen & cum judicio legendus quòd falsa interdum de Bohemiæ Ecclesia tradat. Inservit non minus huic studio Historia persecutionum Eccles. Bohem. ab Anno 894. usque 1632. apud Batavos Anno 1648. omissa Autoris nomine divulgata : Nec non ejusdem argumenti Eccles. Slavonicae Historica relatio, quam J. A. Commenius scripto, cui titulus est , ratio discipl. ordinisque Ecclesiastici in unitate Fratr. Bohemorum, præmittendam curauit.

9. Summatim hîc obseruandum , antiquissima hujus Historiæ multis involuta fabulis esse, ideoq; non , nisi maximo cum delectu, evoluenda.

---

## §. I.

Regnum , quod Bohemicum + vocatur, non ab unâ eâdemque semper gente inhabitatum fuit. Vetustissimis temporibus Boji ++ illic considerunt : Successere his posteà Maroboduo Duce Marcomanni +++, quibus exturbatis iterum Slavorum +++, qui in Germaniam magnam migravére , portio quædam sedes atq; domicilia sua ibi fixit.

+ Nomen hoc sumptum procul dubio à Bojis est : Bojemi enim sic dicuntur, velut in Bojicæ gentis domicilia ac loca successores, id enim præ se fert Bojenhem , quod contractè Behem Scriptores Francici extulerunt. Quò conf. Chronicom Cario - Peucerianum lib.IV. pag. 486. quod eandem amplectitur sententiam , dum dicit : qui vallem ( Slavos denotat ) montibus Sudetis conclusam subegerunt , Bojis pulsis , consuetudine obtinente , Bojorum cognomen conservarunt : cumque patriâ lingua Zechi vocarentur , Bojemi dici ma-

Iuerunt. Ceterum quod nomen ipsum Bohemorum (qui variè ab antiquis Scriptoribus efferuntur, & mox Beheimorum, mox Bohemannorum, mox Behemorum ac Bojohemorum nomine obviis sunt,) attinet, & quatenus pragmatico publico, usu sumitur hodie ac adhibetur, nusquam, quantum quidem mihi constat, ante Carolingicum evum est obvium ac usurpatum, sed sub Slavorum appellatione terræ hujus incolæ ac inhabitatores comprehenduntur: quanquam & hoc ipso tempore rara hujus nominis usurpatio fuerit, & Slavorum vocabulum crebrius & ut plurimum pro eo inveniatur; Quod vel ex Constitutione Hludovici, Imperatoris Arnulphi filii, Aventino, Bavaricarum rerum scriptori, lib. IV. Annal. memorata, colligi potest, ubi leges ibidem contentæ, dum Slavorum mentionem faciunt, Rugios & Bojohemos potissimum intelligunt.

† Tacitus Germ. c. 28. Bojos Gallicam gentem nominat, cum quo Johannes Matthias à Sudetis facit: Sed quò minus assentiamur illis, justæ sunt cause, quæ nos hortantur, quippe qui certum habeamus, & origine & gente fuisse veros Germanos. Illud vero fabulis accensemus meritò & explodimus, quando Bojum, Germanorum quendam Regem, nominis Bojorum conditorem, Bavaricarum rerum scriptor allegat, more multis communi, qui, nisi à Rege quodam denominationes gentium arcessant, parum momenti inesse istis ac antiquitati derogari, sibi persuadent. Quò & istorum error pertinet, qui Pannones à Bannone, velut primo rege hujus gentis, quos inter Johann. Sambucus est; & à Bohemo nescio quo Rege, Bohemos nostros sortitos appellationem suam vanè scribunt. Nec secus sentimus de illis, qui è Slavonica lingua originem Bojici nominis querunt anxiè & mutuantur, cum Germani, uti audivimus, Boji fuerint. Vid. Pulkava, aliisque. Qui præterita longius spectant, tradunt hic, jam diu ante Bojos Vandalo has terras inhabitasse. Eò Zachariam Theobaldum Juniores citamus, qui in Genealogica & chronologica Judicum &c. serie ex Gvagvino de Sarmat. Europ. ita existimat. Cui opinioni quamvis nolim repugnare temerè, nec inficiari statim ausim, à Bojis tamen ordiri malui, quòd res ultimæ antiquitatis fabulis plerumque sint plenissimæ, nec nisi per conjecturas ac præsumptiones de iis certi quid statui queat, cum, qui scriberent in futuram rei memoriam, non extarent illis temporibus, quod dolendum maximè. Inter Bojos & Marcomanni

nos Hermunduros etiam idem Autor inserit, & Bojos ab Hermunduro-  
rum Duce Panilo; Hermunduros à Marcomannis ejectedos asserit. Vid.  
B. Rhenanus, & Philippus lib. IV. Chronic. Quod cur miremur ma-  
gnoperè non est: Hæc enim fata istorum seculorum erant, hæc gentium  
consuetudines, ut sive crudelitate sive regnandi libidine migrarent è  
natalibus solis, ac gravissimis expeditionibus se invicem expellerent, oc-  
cupatisq; terris, sedes constituerent ibidem ac fixa domicilia. Quod  
ostendere facile est ex migrationum historiis, & Vandalorum in Pan-  
noniam, Gothorum in Hispaniam, Boorum in Galliam, Langobardo-  
rum in Italiam, Slavorum in Germaniam ingressibus longissimisq; itine-  
ribus confirmari potest.

††† Peucerus in chronicō lib. IV. p. 392. ait: Fugatis inde  
Bojis Marcomanni, Maroboduo Duce, successerunt in vestigia eorum  
& appellationem. Qui haud dubiè ex Taciti German. cap. 42. hanc  
sententiam hausit, qui præcipua inquit, Marcomannorum gloria  
viresque, atque ipsa etiam sedes, pulsis Bojis, virtute parta. Hi Ger-  
mani itidem sunt, & bellandi gloria maximisq; expeditionibus celebra-  
ti passim atque noti. Quod damno suo M. Anton. Philosophus olim &  
ipsius cohortes sunt experti. Conf. Xiphilinus, & Julius Capitoli-  
nus in hoc Imperatore, qui socios Marcomannicæ expeditionis refert,  
Nariscos, Hermunduros & Quados, Svevos, Sarmates, Latringes,  
& Buros, quibus se junxerant cum Victovalis Sosibes, Sicobotes,  
Roxolani, Bastarnæ, Alani, Peucini & Costoboci. Quanquam  
omnes tandem victi, & quod notatu est dignissimum, non tam humana,  
quam divina ope Quadi succubuere, supplicationibus videlicet Melite-  
næ Legionis, quæ fide Christiana imbuta erat. Conf. Tertullianus in  
Apologetico, & Euseb. in Histor. Ecclesiast. lib. IV. c. 26. cum citatis.  
Nempe tralatitium id Germanis veteribus omni tempore fuit, cum lite-  
ris ac liberalibus artibus nondum esset locus, bello ac militarium virtu-  
tum exercitatione comparare sibi laudem atque famam: quod fecit, ut  
hostes ingenti metu percellerent, & hi inter amicos fæderatosq; recipere  
illos neutiquam dubitarent. Hodie Moravi Marcomannorum loca  
incolunt; cuius rei testem adducimus iterum Peucerum, cit. Chron.  
lib. III. p. 221.

††† Horum nomen Seculi VI. est, & ante Jornandem nemini  
memoratum. Si ex origine sua estimetur, non contemptus illud est ac  
oppo-



opprobrii, sed decoris & gloria argumentum continet : Slavi enim per gloriosos dialecto Slavica efferuntur. Vid. Alexander Gvagvinus Sarmat. Europ. de hoc vocabulo. Nec desunt, qui putant, ideo hos populos hoc nomen sibi imposuisse, ut quilibet à Scythis, id est, Tartaris & similium gentium colluvie discretos intelligeret. Vid. Joh. Matthias à Sudetis. Primis, quæ à Nato Christo memorantur V. seculis, & ante, quam tali nomine venire cœpissent, Venedi dicebantur, conf. eò Plinius, Tacitus, Ptolomæus. Ut appareat, nihil impingere, qui Venerorum s. Wendorum Slavorumq; nomen promiscuè sumunt, unâq; ac eadem ratione, quatenus paria faciunt, copulant. Contra quam illi, qui Venedos & VandaloS unam gentem fuisse censem, & hos pro illis, illos pro his in gestarum rerum recensione adhibent, ut Cranzius, Chytræus, Aventinus, P. Cluverius, aliig; non pauci faciunt ; Non secus ac vulgo Hunnos atque HungaroS ignari migrationum & confundunt & permiscent. Quod quidem valde mirum est : repugnat enim civilis historiæ fides, repugnant migrationis gentium leges, quum nemo sit, quem fugiat, longè post VandaloS innotuisse Venedos : repugnant demum Scriptores veteres Helmoldus, Jornandes, Adamus Bremenensis aliiq;, qui accuratissimè & de industria hanc migrationis historiam excusserunt, nisi quod Jornandes in libr. de rebus Geticis, Getas Scythasq; cum Gothis, id est, Germanos cum non-Germanis commutet. Ut nil addam de nascendi sorte, lingua, ingenio, habitu, moribus, aliisque, ex quibus facillimè colligi judicariq; potest, diversissimæ originis esse gentes. Vid. Schurzfl. in disput. de Reb. Slav. §. 7. At verò non attinet, hæc declarari magis, qui non dubitemus amplius, rem omnem ita se habere, ac per se hodie liquere, & tantum à WandaloS distare Venedos, quantum, ut citatus Schurzfl. loquitur, à Sarmata Germanum, à Germano Scytham, ab indigena exterum. Nihil itaque hic reliquum est, quam ut adjiciamus, rectè juxta & convenienter Bohemiam adhuc dici à Conringio Regnum Slavicum, disput. de official. Imper. §. 22. cum nempe originem respicimus & primordia. Quod eò dilucidius redditur ex eo, quod in Regno Bohemiæ hodienum linguæ Slavice & seu Wendicæ usus adhuc publicus vigeat ac retineatur. Ubi omnes scire arbitror, nulla alia ex causa olim pragmaticâ Caroli IV. Sanctione, præceptum esse, ut Septemvirorum filii linguam Slavonicam sibi redde-rent cognitam ac ediscerent, quamquod Slavice gentis sint Bohemi ho-dierni ;



dierni; Vid. A.B. Quāq̄am hodiernis morib⁹ istud in desuetudinem abiit planè, & lingvæ hujus dialectō nulla imperij negotia expediuntur, aut diplomata conficiantur, Vid. Limn. ad A.B. c. 30. §. 1. obs. 35. De cætero, qvo Duce Slavi in eam regionem, qvæ nunc Bohemia audit, penetraverint, addendum censeo, qvem Zechum fuisse, communis Historicorum est sententia; qvamvis, dum temporum rationes subducent, inter se dissentiant valdè ac discrepent: Georgius Hornius annum ponit 550. Hagekius 644. Cutenus 639, alij aliter. Vid. Æneas Sylvius, Dubravius, Pulkava, Cosmas Pragensis ac alij.

## §. II.

Principiò à Ducibus + gubernatum est, electionis titulo, ut colligi facillimè potest, ad scitis, summâ rerum penes populum remanente, qvorum regimen ad Seculum XII. usq; viguit, à qvo inventæ hæreditariæ †† in Bohemiam regiæ dignitatis Epocham constituimus in Vladislao, †† qvem Fridericus I. qvi & Ænobarbus dicuntur, regio honore auxit.

† Non sumus nescij, Annales Francicos ad An. 805. Lechonis Regis Bohemorum mentionem facere; sed haud dubiè non exquisitâ regis notione, sed laxius ita sumpto vocabulo appellant, qvod sub Ducis titulo Regis aliqvid simile habuit. Qvod eo clariùs doceri declarari potest, qvia Carolingica cætera monumenta Ducem efferunt. Vid. Script. Vitæ Caroli M. p. 269. ex Edit. Pithœan. collat. eo Abbate Stadense. Detmarus Merseburgensis Ducem qvæque Bojemorum vocat, lib. VI. Qvod indicio est, vetus Bohemorum Regnum valdè à servili obsequio abhorruisse, insitosq; quasi incolarum fuisse mores, non pati herile imperium, qvod negare non audebunt, qvi & ingenium & mores gentis Slavicæ accuratiū contemplantur. Vid. Procop. Cæsariensis, eximius & Slavicarum originum peritissimus Scriptor, addaturq; Pomponius Mela in situ & descriptione orbis, qvi sine regio dominatu Slavorum veterum rempublicam fuisse, indicant. Et clarum redditur perspicuumq; Marobodui exemplo, qvi quidem Rex vocatur,

B

sed



sed sine regio jure, sine regia potestate, & cui præter nomen fortè parum superfuit. Exactus enim regno est, non facile passurus, si plenum obtinuisset regnum. Vid. Tacitus.

†† Explicanda h̄ic loci vox h̄ereditariæ, ne ignorationis historiæ arguamur. Nolumus h̄ic, q̄asi regia dignitas h̄ereditario jure fundata statim, ac successionis lege stabilita à Friderico I. in Vladislao fuerit. Absit! diversum enim novimus ex Historiæ contextu, neque nos latet, hujus ipsius Vladislai successorem Premislaum à Philippo, Romanorum Rege, inauguratum & diademate condecoratum esse, Vid. Arnold. Lubecensis chron. Slav. l. VI. cap. 2. Verū illud intendimus unicè, ab hoc tempore non amplius Ducum, sed semper Regum regimen viguisse in Bohemia, q̄od reliqua verba explicant melius, q̄ando h̄ereditariam regiam dignitatem, non verò h̄ereditariam Regum successionem diximus.

†† Vid. Radevicus de gestis Friderici Aenobarbi Lib. I. c. 13. q̄vi Labezlaum nominat. Conf. Chron. Montis sereni ad An. 1158. Monachus Pegaviens., à R. Reineccio Latinè editus, Chronicum Bigauense, è novitiis Georg. Hornius in orbe imperante & alibi, afferuntur Epocham Bohemorum Regum ab Anno 1086. & Vladislauum, Duxum XX. ab Henrico IV. Imperatore creatum Regem scribunt, q̄od multis aliis etiam est commune. Hoc q̄amvis inficias non eamus, ut pote q̄od Cosmam Pragensem & Hagecium testes hujus rei habeat, ab eo tamen Epochæ tituli regij verè non est petenda, eò q̄od pro persona saltim hujus Vladislai hic titulus intelligendus: Nam frater, Liberi, Nepotesq; ipsius usq; ad Vladislauum II. id est, ab Anno 1086. usq; ad An. 1159. Duxis titulo fuerunt usi, (conf. citati autores) q̄o Vladislauus Rex ab Aenobarbo Cæsare creatus inauguratusq; est. Vid. Schurzfl. disp. de Marchia Misn. §. 3. not. c. & ejusdem de Lusatia §. 8. in not. Unde & certa & continuata Bohemiæ regum series est arcessenda. Illt eò etiam facilius error Davidis Chyträi innotescat ac cognoscatur, q̄i primum Regem Wenceslaum Sanctum ab Ottone I. factum, in Ducibus Bohemiæ p. 34. commemorat. Q̄od omne eò pertinet, ut sciamus, q̄o loco & ordine hoc ponendum regnum sit, cum de præcedentia, ut vocant, sermo est. Etenim præter pacta ac potentiam ex capite antiquitatis etiam Rex alter alterum præcedit. Vid. eò Ceremoniale Julii II. Pontificis, ac usus & exempla in publicis regum conventibus obvia.

§. III.



§. III.

Cum vetustissima secula respicimus, impiissimo Slavi Boëmanni idolorum cultui vacabant, superstitionis abominandæ retinentissimi adeò, ut initio non tantum nulla ratione abduci se ab ista paterentur, sed in illos quoque, qui Christo nomen dederant, immanissimis grassarentur undiqueaque modis. Tandem tamen factum, ut ad mitiores leges adfvescerent, operâq; ac industria Adalberti † obstinatio pertinacissima frangeretur, verique Numinis assumeretur cultus. Adeò vel ferocissimorum hominum animos mentesque tandem mansuetudo subit atque institutio.

<sup>†</sup> Idem hic est Adalbertus, qui Prussos ad Christi sacra convertendos adiit, sed infausto eventu, quo de conf. dissert. Schurtzfl. de rebus Prussicis. Vero nomine Woytichius, dignitate Pragenium Episcopus fuit. Videatur Paulus Langius chron. Citizenf. p. 761. qui insignia Bohemici Baronis habuisse scribit, unde & illustris ab Helmoldo lib. I. c. 1. nominatur. Adalberti cognomen inde sumptum tradunt. Degebatur Magdeburgi Archi-Episcopus quidam, hoc nomine notus, quem adeò charum Woytichius habebat ac proseqvebatur, ut nomen Woytich in Adalberti commutaret. Unde ab Historicis hoc nomine communiter commemoratur. Conf. Boxhorn. Hist. Universal. p. m. 537.

§. IV.

Non alia tunc Bohemorum vitæ, quam cultus eorum ratio erat. Moribus efferati ac pugnaces, martiique extiterunt: ac quia exosa ipsis quies erat, gentibus † finitimi negotium

faceslere creberrimis excursionibus , solemnis  
mos ipsi erat.

† Ex sexcentis exemplis allegâsse sufficiat Annales Pithœanos ad Annum 805. qvi referunt, tempore Caroli M. gravissimas in Hunnorum, (qvi alijs Avares dicuntur, vid. Aimoinus lib. III. c. ii. Paulus Warnefridi de Gest. Langobard. l. II. p. 224.) qvos Carolus clientelari lege sibi obstrinxerat, terras fecisse irruptiones, sedibusq; illos expulisse. Conf. eò etiam Adelm. Monachus Benedictinus, & Sigebertus Gemblacensis. Qvod nec tempore Henrici IV. intermisere, qvô, qvòd turbis omnia plena, afflictissimæq; Germaniæ res essent, Misnia etiam Marchiam, (ab Henrico Aucupe institutam) sepè sunt adorti ac impetu eò facto multa detrimenta intulerunt atq; damna, qvod Pirna atq; aliae Bohemiae finitimæ Urbes plus satis testantur.

### §. V.

Sed qvæ temporum rerumq; omnium sunt vicissitudines ac commutations, non eâdem semper usi sunt fortunâ, sed experiendo dicerunt, res suas inclinare in interitum: Francorum enim tûm potentissimorum virtute debellati saepius sunt ac victi. Et qvamvis meditarentur haud rarò rebelliones, infelici tamen id moliti ausu sunt, usq; dum parendi voluntatem declarare, ac jurare fidelitatem † cogerentur. Demum qvoq; Seculo X. ab Henrico Aucupe (primo ex Saxonibus Germanorum Rege) & Ottone I. Imperatore ad tributū pendendum † adigerentur. Qvibus rebus tandem evenit, ut Bohemi postmodùm penitus Germaniæ innecterentur regno, & iisdem, qvibus cives Germaniæ, juribus † uterentur.

† Vid.



† Vid. Regino ad An. 890.

†† Conf. Abbas Stadensis ad An. 912. & Wittechindus Annal.  
I. qvi Boleslaum promiss& fidelitatis obligationem servasse scribit ; item  
Detmar. Merseburg. qvi jusjurandum fidelitatis allegat, qvod Henricus  
II. tam suo, qvam Jaromiri Bohemorum Ducis nomine postulavit & ac-  
cepit. Non enim tributum modò Bohemis imposuit, sed etiam ad obe-  
dientiam beneficiariâ lege præstandam reduxit, dum Jaromirum Bohe-  
mico solo extorrem restituit, atque ducatui impositum cum regni ordini-  
bus sacramento sibi adegit, conf. Albert. Cranz. lib. IV. Sax. c. 28.

††† Vid. Detmarus Merseburgensis lib. VI. Ult adeò Bohemi-  
& hic acciderit, qvod olim Sabinis, qvi cum Romanis conjuncti sunt , &  
tempore Caroli M. Saxonum victorioso populo, qvi post finitum longissi-  
mum bellum ( qvod tribus & triginta annis teste Eginhardo duravit,) in  
jus civitatis Francicæ coalescabant. Vid. Eginhardus in vita Caroli  
M. & Wittechindus Corbeiensis Annal. I.

## §. VI.

Qvo honore cùm impertitum esset hoc re-  
gnum , nova insuper ei dignitas est collata , ac  
tanti habitum à Germanis , cum qvibus unum  
civile corpus constituebat , ut Augustale atqve  
splendidum Archipincernatus † munus , in se-  
quentibusqve temporibus Septemviratus ††  
qvartus hæreditario perpetuoqve jure ipsi con-  
cederetur.

† Sec. XII. institutus est ( hæreditaria lege ) Archi- Pincer-  
natus Bohemicus. Non negari qvidem potest, dignitatem hanc ac of-  
ficium jam Seculo X. viguisse in Germania ; sed liberum erat tunc ac  
ambulatorium, inqve manu Imperatoris, qvi, cui volebat, concedendi po-  
testatem habebat, non secus ac reliqua augustalia Munera sive officiales  
Imperij dignitates, ( qvat. ad Seculares spectant ) si qvidem Archi-The-  
faurarius tantum excipiatur , qvi cum Anno 1648. cœpit, atqve ex-  
emplo regni Svedici unà cum octavo Electoratu est inductus ; Seculo au-  
tem XII. demum certis familiis sunt concessa, ita, ut auferri inde amplius

nequeant, quām diu ex istis supersint, qui Electoratum, à quo hodiè avelli  
bæ dignitates atque separari nullo modo possunt, gerere queunt. Unde  
nec erravero, si ob hanc rationem dixerim etiam, cum Electoratibus præ-  
ter familias territoriis annexa esse, eò quòd extincta familiâ, & ad aliâ  
delato Septemviratu, simul quoque officium Imperiale conferatur. Hinc  
rectè Deductionis Bohemicæ Autor dicit, Pincernatum non personale,  
sed regno Bohemiæ annexum jus esse, quippe ratione cuius & Archi.  
Pincernatus & Electoratus institutus est ac confirmatus. Quanquam  
in accommodatione erret iste, & Ferdinando II. ad quem jure specta-  
bat, deroget falso. Vid. & eò A.B. tit. 20. Est verò dignitas splendi-  
dissima, quā Imperatori poculum primum in celebratione Curiæ Impe-  
rialis Rex porrigere tenetur. A.B.c.4. §.4. & c. 27. §.5. Goldast. de  
Regno Bohem. lib. III. c. 8. ubi integrum ipsi est ac liberum, redimitus  
id faciat corona regia, nec ne? Primum verò, quoad nobis constat, hujus  
officii diploma Anno 1290. scriptum, & ab Imperatore Rudolfo Habs-  
burgico Wenceslao Regi Erfurti concessum est, (cujus Tentonicam  
versionem Hagecio debemus,) utpote hoc ipso hereditarium officii hu-  
jus jus confirmatur. Id verò hîc minimè tacendum etiam arbitror,  
quod vulgo quidam persuasi sunt, Archi-Pincernatum hunc (veluti &  
reliquorum secularium Septemvirorum officia Ministerialia) ab Episco-  
po Bambergensis Ecclesiae lege beneficiaria, beneficio Henrici II. Impe-  
ratoris, dependere. Sed crassus error est, & nullo probari indicio aut  
documento potest. Quid? quod facillimo negotio ex eo confutari  
possint, quòd tempore Henrici II. nec Electoratus, nec certis familiis  
addita hæc officia essent, & Scriptores istius ævi forte tam memorabilem  
cessionem non silentio præteriissent, cum de aliis insignibus privilegiis,  
quibus ab Henrico Episcopatus institutus est auctus, fideliter referant  
isti. Quod porrò clarum & ex eo redditur, quòd maximè derogaretur  
dignitatibus Electorum, si Episcopo longè sibi inferiori officia præstare  
cogerentur: & hodiernâ praxi una cum Electoratibus ab Imperatore  
concedi soleant, uti è literis investituræ datis Augusto Saxoniæ Electori à  
Ferdinando I. evidentissimè cognoscitur. Nec contrariam consuetu-  
dinem, ad quam provocant securi sentientes, tanti facimus, ut istis af-  
sentiamur, nullo enim probæ antiquitatis diplomatumque præsidio  
fulcitur, & propterea tam diu durat, quamdiu eorum patientia, de  
quorum jure agitur, utilloquitur Schurzfl. in Epist. de mot. Belg. not.

bb.



bb. Prætereà alias habet causas, cur exhibeantur hodie Bambergensi similia officia ( diversa tamen longissimè ab Imperialibus ) & diversi quoque sunt Vicarii, per quos præstantur, quos nominatos vide sis in Contr. disput. de official. Imp. §. 26. Vid. etiam citatus Schurzfl. in Program. Decanal. Wittebergæ Anno 1676. affixo, ubi idem argumentum eruditè & prolixè exequitur. Sed satis mentem de his aperuimus, nec opus est, ut magis inquiramus ista, addimus tantum Vicariam operam absente Bohemo Dynastam Limburgicum præstare: quæ prosapia jam Friderici II. tempore eâ viguit dignitate ac splenduit, veluti è subscriptione Bullæ ejus Imperatoris ap. Goldast. in Statut. & Rescript. Imper. patet. Ceteroquin initia horum officiorum è Carolingica Republica arcessi debent, apud quos præter Cancellarios, ( quos in Republ. nostra Romano - Germanica Electores Ecclesiastici referunt) Camerarii, An. Franc. ad An. 828. Pincernæ, iidem ad An. 781. Dapiseri, qui Eginhardo præpositus mensæ regiæ dicitur, & Comitis stabuli f. Marschalli quoque officia viguerunt, Regino. Vid. Conring. in not. ad Lampad. P. III. c. 4. §. 23. qui longius progreditur, & à Constantinopolitanis Imperatoribus officia diducit. Quod affertur ideo, ut omnes intelligant, ex hac ipsa causa titulos dignatum Imperii officialium scribendi usū pragmatico præponi titulis Electoratus; nempe quia istæ longè antiquiores sunt Electoratibus, & officii titulus adhibitus fuit, cum Electoratus omitteretur. Quod exemplo Friderici I. bellicosi, filiiq; hujus Friderici placidi probari potest, qui S. I. Archimareschallos se tantum scripsérunt: donec Ernestus utrumq; titulum Archi-Mareschalli & Electoris conjungeret, à quo tempore hæc scribendi consuetudo hodierno adhuc die viget atque retinetur. Vid. hæc fusiùs explicantem Schurzfl. in not. ad Alberti III. Animosi Vitam.

†† Electoratus Sec. XIII. accessit, ratione cuius reliquos Seculares Electores, (Bavarum, Saxonem, Brandenburgicum, & Palatinum) antecedit, idq; ob regiam, quâ pollet, dignitatem, Vid. A.B.C. 4. §. 3. quæ eadem facit, ut in aëtibus imperium spectantibus nulli cedat Regi, nec Gallo, imò nec Imperatrici, Imperatoremg; vel Regem Romanorum immediatè, nullo interveniente, sequatur, quo de iterum A.B. conferatur: quamvis in aëtibus separatis & extra hanc pompam aliter res sit comparata, ac propter Majestatem subalternam cedere teneatur. Ubi nihil Bohemia Regi etiam præjudicat vel detrahit, quod ultimo



ultimo loco & post reliquos Co-Electores officio suo fungatur, cum tamen primus sit inter istos Seculares: intelligendum enim omne illud semper est salvo competentis alias ordinis ac prærogativæ jure, quod & rectè observatum à Goldasto est. Eſſet hic opportunus locus, de origine Electorum in genere differendi, sed supersedemus hoc labore, tum quod brevitati studemus, tum quod gravissimi Viri istud argumentum tractaverunt, ut Conringius in not. ad Lampad. & disputat. de Septemviris, Mauritius peculiari dissertatione de origine Electorum, Excellent. L. Menkenius de eodem argumento, aliig., quos consulere sufficiat.

### §. VII.

Ex quibus licet cognoscere, falso esse, ac praxi consuetudinique imperiali maximè contrarium, quod quidam scribunt, Regem † Bohemiæ non eligere Imperatorem, eò quod non sit Teutonicæ nationis. Præterquam enim quod h̄ic loci non tam ad situm ac originem primam Regni hujus est respiciendum, quam ad jus civitatis Germanicæ impetratum, ratione cuius pro Germano est habendus Rex, & sic ad eligendum summum Imperii nostri sacratissimumque Caput aptus; omnem certè dubitationem tollit, tum continuum † exercitium & non interrupta possessio, tum imprimis ipsa Sanctio Cæsarea Carolina, quæ inter Electores ipsum collocat, & expressè tertium tribuit in eligendo suffragium, conf. A. B. tit. IV. Quò ipso etiam sponte sua corruit, quod similiter asseritur, † in casu variantium demum suffragiorum pondus habere ipsius votum.

† Alle-



† Allegandus Abbas Stadensis ad Annum 1240. Speculum  
Saxonicum Lib. III. artic. 57. Auctor des Rāyserlichen und Rō-  
niglichen Landz und Lehn-Rechts p. I. t. 29. §. 2. apud Gol-  
dast. in Constitutionib. Imperialib. part. I. fol. 30. & fol. 118. Weich-  
bildum Magdeburgicum art. 13. aliisque. Ast conf. Conringius de  
origine Jur. Germ. cap. XXX. & Schurzfleischius in dissert. de Lu-  
satia §. 9. ubiprolixè, quid sentiendum sit de hoc speculo, quod re-  
liqui sequuntur, differunt ac eleganter. Et illustri Uladislai Regis  
documento veritas etiam adstruitur probaturq; , qui non solum præ-  
teritionem in electionis Maximiliani I. actu indignè tulit, sed & pro-  
testatus valdè ac armis vindictam minatus est, quod Hartm. Maurus  
confirmat in Relat. Coronat. Caroli V. & vicit quoque ejus contra-  
dictio, dum satisficeret ipsi, & conventione caveretur, ne sub 500. li-  
brarum auri pœna Bohemiæ Reges in posterum ab electionis actu exclu-  
derentur, quod Anno Christi M. CCCC. LXXXIX. Francofurti contigit,  
& conferri potest evolviq; Goldastus in Constitution. Imperial. Tom.  
II. fol. 178. Limnæus itidem ad A. B. cap. 12. §. 2. observ. 4. alibique.

†† Hic non ferit nos, quod regeri solet, multoties ad electio-  
nem non fuisse citatum Regem Bohemiæ, ideoq; ad continuum exerciti-  
um provocari non posse; verùm id ob alias factum rationes est: sive  
enim tunc temporis rebellis imperio, sive schismatis corruptela notatus  
fuit, quod reliquis Regibus & ordinario juri nil derogat. Vid.  
Cranz. lib. VII. Wandal. cap. 46. aliisque. Neque quicquam ad  
contradicentium probationem facit, quando ad hodierna tempora pro-  
vocant: istud enim obrationes arcanae & politicas fieri, nemo facile ne-  
gaverit: Nempe quia ex ipsa familia Bohemorum Regum, quæ hoc tem-  
pore Austriacæ stirpis est, Imperatores eliguntur. Vid. Limn. Encl.  
de rege Bohemiæ p. 209.

††† Autor hujus opinionis Dubravius, Olomuzensis Epi-  
scopus est, elegantissimus alioqui gentis suæ, & antiquitatis scientif-  
fissimus scriptor lib. VI. Chron. Bohemici, qui ait: Additus sex illis  
principibus postea Rex Bohemus Elector septimus, ad tollendum  
discordiam, quæ inter pares numero pari suffragio concurrente non-  
nunquam intercedit. Quem sequuntur hac in parte Robert. Bellar-  
minus lib. I. de transl. Imp. c. I. Onuph. Pamvinus de Comit. Imp.  
Henning. Arnisæus lib. II. de Republ. cap. 6. sect. 5. n. 45. Verùm ea  
C sen-

*sententia privatorum est auctorum, atq; adeò nullum hic nobis prejudicium creat, qui ex Actis & legibus Imperii aliud sciamus.*

### §. VIII.

Sed quia jam tum commemoravi, Bohemiæ Regem verum Imperii nostri Electorem esse , opportunum existimo, nec præter instituti mei rationem , reddere hīc etiam , minus rectè eundem à multis scriptoribus , præsertim iis, qui Juri publico, quod vocant , enucleando operam impendunt, Statuum Imperii numero excludi ; non modò quod ad dignitatem Regni Bohemici pertineat, sed etiam contextus commemorationis id svadeat postuletque.

### §. IX.

Allegant profundamento assertionis suæ negantes, quòd onera nō ferat Imperii, circulo nulli inclusus Imperiali sit, votumque nullum ac sessionem in Comitiis habeat, & si quæ sunt alia , t quæ Ci-vium & Statuum Imperii notas facere assolent. Quæ utut primo intuitu satis firma videantur, non tamen adeò sunt valida , ut excipi non possit , & remotis etiam istis salvum Status jus Bohemo asseratur. Et enim ne dicamus, olim obnoxium hoc regnum collationibus tributisque imperialibus fuisse , quod Conringius de finibus Imperii cap. 29. diducit, non video , quâ ratione colligi exinde queat, istum Status dignitate carere, qui liber ab oneribus his constitu-

stitutus est. Etenim si hoc asserto stabiliti posset sententia adversarum nobis partium , eodem jure Statuum catalogo eximendus Circulus it Burgundicus esset , quem Statūs privilegiis frui novimus , ( noverint & ipsi ) nec quicquam tamen collectarum , quas vocant , contribuere. Vid. Instrumentum pacis Cæsar. Gall. §. & ut eò sincerior.

† Faciunt hīc quidam & eam Civis notam , si albo Imperiali , seu Matriculæ , ut dicitur , insertus inveniatur . Ast non satis facit ista , quod Status & Cives in nostro Imperio extiterunt etiam ante , quam talis curante Sigismundo Imperatore anno 1431. concinnaretur . Ut recte observat castigatq; Conring. disput. de Civibus Imperii §. 9. Hinc & nos consultò omisimus eandem .

†† Conf. Limnaeus in J.P.lib.I.c.7. n.97. Mylerus de Princip. & Statib. Imperii cap. 11.n.5.it. Reinkingius de Regim. Secul. & Eccles.Lib. I.cl 4 c.1.n.42. qui plures recensent Status , nec tamen oneribus Imperialibus obnoxios . Addimus hīc , quod Conringius itidem cit. disp. scribit , quod quoque quidam contribuant , nec tamen in Conventu Imperii Procerum sententiam dicendi facultatem habeant , veluti olim Polonia devicta aliquot auri libras quotannis Imperio Germanico solvit , minimè tamen dignitate Status aucta fuit .

## §. X.

Nec altera ratio tanti est valoris atque pondoris , ut pro firma admitti possit ac debeat . Quod si enim ad Statum sufficeret , circulo aliquo contineri , Princeps Cabillionensis , Duxque Mosellanus in circulo Rhenano descripti , aliisque plures de quibus vid. Strauchius dissert. 1.Exoter. §. 6. Statibus Imperii annumerandi venirent , quorum tamen nullus honore isto atque jure fruitur . Unde liqui-

dò constat & perspicuum est, nec hujus ratione Bohemiæ Regem è Statuum numero excludi posse. Ubi tamen omnino à Goldasto discedimus, qui undecimum Imperii Circulum pro stabilienda Bohemiæ Regis dignitate lib. IV. c. 8. in Bohem. & in consult. de Electore Bohem. n. 13. comminiscitur; quam eo invento supersedere potuisset, & recordari debuisset, decem tantum Imperii esse Circulos Vid. Recess. Imp. Norimbergensis 1522. tit. 2. Conf Protestatio Ferdinandi I. Bohemiæ Regis, Fratri Carolo V. & Ordinibus in Comitiis Augustanis de Anno 1548. objecta, in qua ipse Ferdinandus, Bohemiam ad nullum pertinere Circulum, haud obscurè dicit.

### §. XI.

Tertium argumentum, quod adducunt, si ordinariè res æstimetur, unicam & veram Statūs notam continet, naturamque Civis describit aperi-  
tissimè. Quando verò Bohemiæ Rex jus venien-  
di non habet ad Comitia Imperii, sive illa sint uni-  
versalia, sive deputatorum, id ex privilegio + Regi  
Bohemiae concessò cessare cœpit, non ex defectu  
Imperialis juris, quatenus substantiam ac obliga-  
tionem feudi Bohemiæ à Regno Germaniæ depen-  
dantis respicit.

+ Friderico II. acceptum ferendum hoc est privilegium. Conf.  
Goldastus in Constitut. Imperial. Limnæus in J. P. Burgoldensis No-  
tit. rer. Imp. Jam quis, inquit, Limnæus, de Rege Bohemiæ, tam  
iniqvus

iniquus est , qui, quod privilegii & gratiae loco Bohemo datum fuit,  
ejusdem in odium velit detorquere ? Scilicet ad onus Imperii perti-  
net, in Comitiis ut compareant. Quod si verò privilegium alicui  
ex his fuerit tributum ( hīc quædam huc non spectantia omittuntur )  
ne ubique teneatur comparere , ut Bohemo datum, is utique non  
qualitatem & nomen Status amittet , sed status permanebit , præ  
aliis tamen privilegiatus , & honorarius erit , licet non onerarius.  
*Quorsum etiam illud facit , quod nullum jus praesentandi Assessorem*  
*Cameræ habeat salvo tamen jure atque charactere Status.*

### §. XII.

Præterea novimus è superiorum temporum  
actis , Reges Bohemiæ interfuisse Consultatio-  
nibus ac Comitiis. Quod exemplo Uladislai  
Regis comprobatur , Comitia Ratisbonæ anno  
1156. præsentia sua honorantis, vid. Ligur.lib.V.  
Nec secus per Legatos Rex Bohemiæ Anno  
1387. Mergentheimii comparuit , Lehmann.  
Chron. Spirensi Lib. VII. c. 68. Et Anno  
1461. Georgius Rex Egræ de salute Reipubl.cum  
Statibus reliquis consultavit, Zacch. Theobal-  
dus in bell. Hussitici Historia parte III.

### §. XIII.

Et qvamvis postmodum (anno videl. 1468.)  
Senatu Electorum Germanicorum prohiberetur  
Uladislaus, qvòd † cum Bohemico idem Polonicum  
teneret Regnum ; non tamen ideò existimandum  
statim, nullâ ratione modōqve Statum amplius esse  
Regem Bohemorum : Præterqvam enim qvòd  
post hæc tempora Ferdinandus Caroli V. Frater,

Rex Bohemie per Legatos in Comitiis VVormati-  
ensibus, fidem faciente Goldalto, se sticit, idemqve  
Anno 1530. jus comparendi usu repetiit; sufficit  
qvoqve ad Comitia Electoralia eundem veniendi  
jus possidere, adeoqve de maximis ac gravilimis  
Sacri Imperii negotiis deliberandi facultatem habe-  
re. Mea etenim sententia omnino repugnarent si-  
bi invicem, eligere posse Imperatorem, nec tamen isti-  
us Reipubl., in qua supremum caput eligendi potestas  
est concessa, civem atque statum esse. Et ut sum-  
matim dicamus, Principem & Statum Germaniae  
esse Bohemiæ Regem, docent inter cætera, Impp.  
documenta, quæ in Bohemia concepta, vice Mogun-  
tini, Germaniae Archi-Cancellarii, subscripta & re-  
cognita fuere, & adhuc recognoscuntur & subscri-  
buntur à Pro-Cancellariis Aulæ Cæsareæ, vid. Ge-  
vvoldus de Septemv. c. 9. n. 187.

† Contradicit hic Textor Historiæ, dum refert, ex eo tempore,  
qvo Regnum Bohemia tam eminentibus privilegiis auctum ac condecora-  
tum esset, Regem istum non amplius in Comitiis Imperij se stitisse. Qvod  
verò falsum est & ex uno Goldasto confutari potest, quem Conringius se-  
quitur in disput. de Comit. Imperii Germ. §. 17. Commodè alio-  
quin hic in mentem venit, qvod olim ante pactum Velaviense  
Anno 1657. die 19. Septemb. inter Poloniæ Regem & Fridericum Wil-  
helnum ratione Prussiae Ducalis initum, Electori Brandenburgico con-  
tingit, cui similiter jus suffragij in Comitiis regni ratione Porussiæ deposcen-  
ti, Respublica Polonica annuere noluit, ut est apud Piascium Chron. ad  
An. 1632. & 1633. Nempe nolebant & Germani & Poloni in regno-  
rum Senatum & arcitorum communicationem admittere, quos diver-  
sa nationis esse à suis sciebant.

§. XIV.



## §. XIV.

Nos ex dictis concludimus & elicimus, non tantum Electoratum, sed etiam Regnum Bohemiæ, quæ accurata notione distingvi ab se invicem debent, ab Imperio recognosci & lege beneficiaria dependere, quamvis auctum privilegiis insignibus sit, investituramque Rex extra regni fines petere non teneatur, quod idem privilegium Austrii hodie exequuntur. Conferatur in hanc rem privilegium Fridetici I. & Goldastus de Regno Bohemiæ.

## §. XV.

Ast de eo satis mentem atque sententiam nostram declaravimus, & quæ ad Regis Bohemiæ dignitatem pertinent, vindicavimus; nunc, quis Regni Bohemici status sit, laborem ineamus, est necesse. Est illud subalternum † ac fœmineum, si formam; hæreditarium ‡, si succedendi jus; Austria-  
cum ‡‡, si sangvinem respiciamus.

† Paret hoc, ut alia omittamus, ex variis diplomatibus, præsertim Richardi, in quo haec leguntur: Richardus, Romanorum Rex semper Augustus, illustri Ottocaro Bohemiæ Regi gratiam nostram &c. Ex quibus colligi facillimè potest, eum, qui gratiam alteri denunciat & obsequij devotionem præcipit (quippe & hujus in eodem diplomate mentio fit) superiorem esse, alterum vero subjectionis lege dependere. Quorum faciunt quoque Tabulae investituræ Habsburgici, v.g. Nos Rudolphus de Regno Bohemiæ cum suis attinentiis, quæ à nobis & Imperio in feudum obtainere de jure dignoscitur &c. Quæ verba sanè dilucidissimè vasallagium, quod dicitur, & subjectionem arguunt importantque. Huc vid. A. B. tit. 8. & 24. Ejus vero Regni antiquitate insignis ordines etiam sunt illustres atque memorabiles,

I. Baro-



1. Barones. 2. Nobiles. 3. Civitates, inter quas excellit Praga. Qvod Ecclesiasticum attinet, de isto esse notum autumo, eum superiori tempore undique ab Hussitis exterminatum penitus, nec Ordinum amplius frui privilegiis. Qvod alioquin in Hungaria Palatinus Regni est, id in Bohemia Burggravius est, & communis nomine supremus Burggravius appellatur, Vid. Constitutiones Bohemicæ.

†† Regnum hoc quale olim fuerit, & quod jure ad successores pervenerit, jurene hereditario an electitio, sèpè acriter multumq; disceptatum fuit inter Eruditos. Verum si intimius considerentur omnia, merè electitium non fuisse illud, omnia produnt, & levi negotio conficitur, Electionem quidem pro sua parte Regnicolis Bohemiæ tribuendam fuisse, ita tamen, ut excipiatur successorum jus pro sua quoque parte Regibus competens, uti id evincere possunt tot diplomata ac instrumenta Bohemiæ facta. Vid. Goldastus Lib. VI. c. 3. de Regn. Bohemiæ. Limnæus in I. P. de Rege Bohem. aliquo. Qvod ut summam dicam, sentio, regnum fuisse electivum, sed successione una temperatum, uti omnia regna Slavica fuerunt, & hodieque est Polonicum. Hodie vero de eo, ut sollicitè disputetur, non opera pretium est, cum sciamus, superioribus temporibus merè hereditarium jus acquisitum Austriae esse: Nam indigenæ Bohemi ipsi prætensione sua obstinata juris eligendi ad hanc formam præbuere occasionem, cum Austrios præterirent, & Fridericum Electorem Palatinum eligerent, maximo, uti constat, periculo suo ac damno: Etenim quod duplii ad Austrios jure pertinebat, pactis successoris ac jure uxorio, (quod fæmininum regnum esse simul probat,) non erat veris possessoribus, legitimisque successoribus eripendum, sed vindicandum omnino atque afferendum. Haud aliter aliquo, si formam consideres, cum regno Hungariæ est comparatum, quod nunquam merè fuit electivum, sed pactis successoris uxoriisq; semper devinctum fuit: Et pervenit hujus regni titulus, quatenus continua serie exhibitus, ex pacto primùm ad Fridericum III. & Maximilianum I. Regnum autem ipsum ad Albertum II. Anno 1437. & altero post seculo ad Ferdinandum I. imprimisq; hujus filium Maximilianum I. restitutum est, à quo penes Austrios ad hoc usque tempus permanit. Eò dissimile Bohemico Regno, quod huic omnis Electio adempta, illi vero variæ pro Electione adhuc transactiones supersint, novissimaque contingit Anno 1655.

†† Va-



Variae fuerunt prosapia, quae Bohemiae Duces Regesque dederunt. 1. Antiqua Czechiorum familia, quae per Annos 584. summam rerum tenuit. 2. inserendus ex Ducum Carinthiorum stirpe Henricus, qui per uxorem Annam jus adeptus, propter iniqvitatem ac jurium violationem tamen brevi iterum exclusus. 3. Luzemburgica per Elisabetham in Bohemiae Regnum invecta, quae in Sigismundo propria defecit. 4. Austriaca, quae interjecto Georgio Podiebracio (cujus filiam Sidoniam Albertus Animosus, Dux Saxonie in matrimonio habuit, vid. Bojemus in vita Alberti) Bohemo, & Ladislao Ludovico que Polonis, ad hunc usque diem ibidem potitur rerum. Rex Fridericus consulto à nobis omittitur, quod inter turbas ac tumultus electus, cum nullum ipsi jus suppeteret, breviique ad Albus montem infelici prælio Anno 1620. à Cæsareanis victus, & Regno & Electoratu excidisset. Ceterum non fecero præter institutum, si ordine hic ponam ac subjiciam oculis, ut sibi invicem ex Austris hoc in regno successerunt, quibusve auctoribus isti impetraverunt.

- I. VVENCESLAUS JUNIOR, VII. ultimus ex masculina Primislai I. stirpe, duas habuit sorores, Annam & Elisabetham. Annam sibi sociavit
- II. HENRICUS, CARINTHIAE DUX, cui deturbato
- III. JOHANNES, HENRICI VII. imperatoris filius. Lüzelburgicus per Elisabetham alteram Primislai filiam adeptus regnum Bohemiae est, ac contra æmulum Henricum Carinthium masculè defendit, vid. Boregk & Hagecius in Chron. Bohem. Huic succedit filius
- IV. CAROLUS IV. qui imperator post Ludovicum Bavarium etiam fuit. Hic filium habuit
- V. VVENCESLAUM ignavum, Regem Bohemiae & imperatorem simul, cui
- VI. SIGISMUNDUS, frater ~~precedens~~ succedebat. Hoc absque herede masculo defuncto, succedit filia Elisabetha, & jure uxorio

D

VII. AL-

- VII. ALBERTUS II. Cæsar Austriacus, quem post mortem sequitur
- VIII. LADISLAUS filius posthumus: Post cujus discessum interrupta iterum series, & ad Podiebracium Bohemiæ olim gubernatorem translatum regnum est; mortuo tamen eō summa rediit ad
- IX. ULADISLAUM, Casimiri Poloni ex Elisabetha Lazdislai sorore filium, cui succedebat filius
- X. LUDOVICUS II. à Turcis ad Mohaczium anno 1526. cæsus. Hunc exceperit soror
- XI. ANNA, in thorum postmodum à Ferdinando I. adscita, cuius filius erat
- XII. MAXIMILIANUS II. quem excipiebat filius
- XIII. RUDOLPHUS II. quem sequebatur.
- XIV. MATTHIAS frater; quem excepit
- XV. FERDINANDUS II. Ferdinandi I. per filium Carolum Nepos, à quo continua serie usque ad nostrum invictissimum Leopoldum Reges ex Austriae Bohemis obvenerunt, nempe
- XVI. FERDINANDUS III, & ipse
- XVII. LEOPOLDUS,

### §. XVI.

Veluti autem ad conservationem Principum & potentiae augmentum maximè Unionis † Confraternitatisque pacta, ut vocari stylo pragmatico solent, faciunt expediuntque: ita similibus Bohemia sibi addidit robur; & Unionis quidem cum domo Saxonica, Palatina, Ecclesia Moguntinensi, Brandenburgicaque inita sunt, & partim salutari consilio renovata: Confrater-

fraternitatis verò, cum Hispaniæ Rege Anno  
hujus seculi XVII. firmatum est saluberrimè;  
qvo referendum qvoqve istud est, qvod Si-  
gismundus Seculo XV. cum Alberto II. super  
Regno Bohemiæ eò catu fecit, ut ad Austrios  
deferretur Regnum , si ipse Sigismundus sine  
maribus decederet, qvod eventu tandem etiam  
confirmatum est ac comprobatum.

† Vocant Unionis pactum illud, quod defensionis mutuae cau-  
sa institutum est inter familias illustres: Confraternitatis autem,  
quod extinctâ alterâ paciscentium familia futuram successionem re-  
spicit, & Teutonicè illud per Erbeinigung hoc per Erbverbrüs-  
derung interpretantur. Ut innotescat facile, vobementer errare  
illos, qui inter se confundunt ac permiscent, exemplo Eberhardi à  
Weihe, qui Unionis inter Bohemos & Saxoniam domum pactum per-  
peram Confraternitatis nomine effert: quod Anno 1547. initum, in  
Mauritio renovatum, ac novissimè in Christiano I. Anno 1587. re-  
petitum est. Confraternitatis alioquin pectorum illustria exempla  
obvia sunt ubique, Brandenburgicorum cum Pomeraniæ Ducibus An-  
no 1551. initum: Saxonum cum Hennebergicis Comitibus Principals  
dignitate auctis: Saxonum cum Landgraviis Hassicis Anno 1226.  
institutum, & Naumburgi 1555. redintegratum: & novissimum de-  
nique cum Saxo-Lauenburgico Duce Julio Francisco factum Anno 1671.  
pt alia taceamus.

## §. XVII.

Pergimus, & ad accessiones Regni hujus pedem  
promovemus, quas insignes habuit, & etiamnū ha-  
bet. Moravia ab Henrico IV. innexae idem est: Silesia  
An. 1288. Bohemiæ conjuncta: Lusatia quæ primò  
omnium à Saxonibus subacta est, postq; hos à Mar-  
chionibus Misniæ gubernata, ab eodem Imperatore  
Hen-

*4644*

Henrico IV. An. 1086. illigata est. A quo tempore penes Bohemos mansit, usq; dum insigni mutationum fato An. 1244. à Bohemo ad Brandenburgicos deferretur. Neq; tamen sub iis etiam perpetuo mansit, sed Anno 1319. à Bohemis repetita recuperataq; do- nec tandem A. 1535. ad Saxones perpetuo manēdi jure devolveretur adeò, ut ad Regnum non revertatur, neq; ullum de retrovendendo pactum locum habeat, postquam hypothecarium jus, quō priori tempore Serenissimus Elector Jo. Georgius I. tenebat, in hæreditarium cest conversum. Vid. Goldast. de Regno Bohemiæ, Author Chron. Bischoffverd. Casp. Bertrami Johann. - **Georgisches Chronicon**, it. diplomata investiturarum, conf. Schurzfl. de Luf.

### XVIII.

Multa, nec ea levia, dicenda restarent, sed desino commemorare plura, & in extremo operis Bohemiæ pacem ac tranquillitatem vovo, & ut sub Leopoldo, invictissimo Imperatore, crescat indies, Saxonumq; & Austriorum amicitia, concordia, atq; consilia incrementa quotidie capiant, imperioq; gloriam & firmamentum sempiternum asse-  
rant, precor.

F I N I S.

b017

G. K. 378,2.


X 190340

RE

Indul

M. JO

JOHA



Le Nigliden  
M. 2

